

farum aurium pertimescunt. Nobis autem (Christianis, de rebus Theologicis loquentibus) ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia, etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem.

CAPUT II.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΟΝ.

§. I.



Indicatâ hæcenus Problematis nostri sede, ostenso ejusdem etiam momento, ad statum controversiæ ponderandum jam nunc propius accedendum nobis erit. Fieri verò id commode nequit, nisi, quis regeneritus dicatur ac irregenitus, fuerit explicatum, id quod feliciter tum demum procedet, si Regenerationem antea descriperimus. Abstracti namque, velut simplicioris, facilius est ac concreti, tanquam compositi, cognitio: Et formâ denominante cognitâ, subjectum denominatum clarius poterit explicari. Quod jam vocabulum Regenerationis attinet, illud iteratam significat generationem, siquidem particula inseparabilis RE in compositione ubique vim iterandi habet, ut itaque Regeneratio prægressam quandam generationem supponat, cum impossibile sit iterum generari, qui ante genitus non fuit. Quandoquidem autem semel in lucem editus naturali modo iterum generari non potest, Job. III. 4. illico intelligitur, voce hac supernaturalem quandam ac spirituales indigitari generationem. Ideoque Christus Job. III. 7. Nicodemo sermonem ejus de iterata generatione miranti respondet: *Ne mireris, quod dixi tibi, oportet vos nasci ἀνωθεν*, sive iterum, sive è supernis: utrumque enim Græca vox denotat, & differunt ea hoc loco non nisi virtualiter tantum, ob diversa connotata, ita ut ad præcedentem naturalem nativitatem spectetur in priore, ad principium autem hujus, de qua loquimur, iteratæ nativitatis in posteriore significato; hincque de spirituali generatione disertè sermonem suum explicat v. 5. *nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest in-*